Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36535
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

connumerari. quia peccatum illud mendacii purgavit opus pie-
tatis et misericordie. Si autem sine eo fuisset si eos proderet ad mortem quam quod eos ne-
gavit et mentita est. Unum sane debemus firmiter retinere nullum
mendacii genus inultum remanere quod hic laxatum non fuerit peni-
tentia aut aliquo pietatis opere. Omnium enim istorum qui sunt supe-
rius connumerati: pars eorum erit in stagno ardenti et sulphure.
idem in profunda inferni dampnatione. ubi sunt simul ignis et
sulphur: quod est mors secunda. idem corporis et anime. Prima enim
mors fit in anima per peccatum: secunda autem intelligitur in anima et
corpore. Sequitur. xlvi.

Et venit unus de septem angelis habentibus phyalas plenas septem
plagis novissimis. Per septem angelos sicut superius dictum est vel
universalis intelligitur ecclesia. vel omnes predicatores propter septiformem
spiritum quo ecclesia instruitur et doctores erudiuntur. Sepe enim dictum est
septenarium numerum universitatem ostendere. quia omne presens tem-
pus septem diebus volvitur. Unus ergo ex septem angelis qui ad iohannem venit
intelligitur dominus ihesus christus qui est secundum prophetam magni consilii angelus
idem nuntius paterne voluntatis. Unus est ex angelis qui caput est
omnium electorum. et per assumptionem humanitatis illis est coniunctus
in utero virginis. Venit ergo per incarnationis mysterium qui ubique
erat per divinitatis potentiam. Isti angeli hoc est predicatores
quorum caput est christus habent phyalas plenas septem plagis
novissimis. hoc est ipsi sunt pleni divina predicatione qua
quidam auditorum vulnerantur ad salutem quidam autem ad
sui perniciem. Bene autem ipse plage novissime dicuntur.
quia in huius seculi novissima hora idem ab incarnatione
domini usque ad finem mundi immittuntur. Et locutus est mecum di-
cens. Veni ostendam tibi sponsam uxorem agni. Iohannes in hoc
loco significat ecclesiam. cui loquitur deus per occultam inspira-
tionem in mente dicens. Veni passibus fidei et passibus amoris